

ceteris favoribus uti licet, prout S. Poenit. pluries de ultimis jubilaeis respondit. Attamen, si quis prima vice qua jubilaeum lucratus est, specialibus illis favoribus non indigebat, poterit iis uti si postea iis indiget. dummodo iterum opera praescripta peragat. (S. Poenit. 1 Jan. 1873; N. R. Th. t. 18. p. 62) Eum vero qui semel a censuris, vi facultatum jubilaei, absolutus esset et, *antequam indulgentiam lucratus esset*, iterum in easdem incidisset, non posse iterum ab iisdem, vi earumdem facultatum, absolvi, declaravit S. Poenit. occasione jubilaei an. 1875. (Act. S. S. t. 8. p. 359) Quidam tamen (Lehmk. II. n. 555; D'Annib. I. n. 348) hoc responsum ad praedictum jubilaeum coartari et recidivum regulariter pluries a censuris absolvi posse donec semel jubilaeum lucratus sit, non improbabiler opinantur; cui hujusmodi gratiarum necessitas tunc solum occurrat, postquam jam acquisiverit Jubilaeum.

415. VI. Dum annus sanctus Romae agitur (non autem dum jubilaeum ordinarium reliquo orbi conceditur, neque dum extraordinarium acquiri potest), suspenduntur in reliquo orbe indulgentiae et quaedam facultates confessariorum: quo magis alliciantur fideles ad Romanam peregrinationem arripiendam. Quousque se porrigat hujusmodi suspensio, in singulis jubilaeis e Bullae tenore discendum est.

In jubileo currentis anni 1900, juxta Const. Leonis XIII, 30 sept. 1899, *Quod pontificum*, quae vix discrepat a correspondente Bulla Benedicti XIV, suspenduntur:

I. Indulgentiae omnes, seu plenariae, seu partiales a R. P. concessae, exceptis sequentibus:

- a) Indulgentiis in articulo mortis concessis.
- b) Indulgentiis quas concessit Bened. XIII recitantibus *Angelus Domini* vel tempore Paschali *Regina coeli*.
- c) Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum tributa iis qui visitant ecclesias in quibus fit adoratio XL Horarum.
- d) Indulgentiis quas Innocentius XI et Innocentius XII concessere comitantibus Sanctissimum cum ad aegrotos defertur.
- e) Indulgentia dicta *Portiunculae*, sed tantum in ipso templo Assisiensi S. Mariae Angelorum.
- f) Indulgentiis quas Cardinales, Legati, Nuntii Apostolici, item Episcopi in usu pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma consueta largiri solent. Quare salvae manent omnes indulgentiae a Praelatis Papa inferioribus, stabili vel transeunte ratione, concessae.

Igitur, durante anno sancto, hae indulgentiae exceptae acquiri possunt seu pro vivis, seu pro defunctis; pro defunctis vero, acquiri possunt omnes indulgentiae, etiam eae quae extra hoc tempus solis vivis prodesse possunt.

Eadem Constitutione prohibet Leo XIII ne, praeter indulgentias jubilaei et eas quas nominatim exceptit, ullae aliae usquam, sub poena excommunicationis eo ipso incurrendae aliisque poenis arbitrio Ordinariorum infligendis, publicentur, indicentur vel in usum demandentur. Liqueat hanc prohibitionem spectare ad publicationem, indictionem etc. quibus indulgentiae proponantur tamquam vivis applicandae. Juxta communem interpretationem (Loiseau, op. cit. p. 679), excommunicatio illa non afficit eos qui conarentur indulgentias suspensas lucrari, sed eos tantum qui alios ad ejusmodi conatum inducerent. Ab illa censura quilibet confessarius absolvi potest, cum nemini reservata sit.

II. Facultates a S. Sede concessae, non omnes quidem, sed quae ad quattuor haec capita pertinent:

1° Ad absolutionem casuum qui cum vel sine censura sint S. Sedi reservati.

2° Ad commutationem votorum. His verbis contineri eam commutationem quae fiat dispensando, liqueat a fortiori: secus, suspensio plane inutilis foret.

3° Ad dispensationem irregularitatum.

4° Ad dispensationem impedimentorum. Hac voce, licet non omnes AA. idem sentiant, verisimilius intelleguntur etiam impedimenta matrimonii, tum quia proprie hoc nomine veniunt, tum quia confessariis Romanis privilegiatis, durante anno sancto, tribuuntur, statim post speciales facultates dispensandi in irregularitatibus, facultates dispensandi in impedimentis matrimonii (Const. Leonis XIII, *Quoniam divinae bonitatis*, n. XII seqq.): unde pronum est inferre idem sonare vocem "impedimenta", ubi facultates in reliquo orbe restringuntur.

Itaque minime suspensae manent, durante anno sancto, facultates ab iis quae modo enumeratae sunt, diversae, utputa dispensandi in abstinentia, celebrandi Sacrum ante auroram, etc. Similiter, saltem vi generalis suspensionis, non cessant, durante anno sancto, facultates adnectendi indulgentias rosariis, parvis statuis, etc. neque etiam, ut videtur, dandi benedictionem papalem in fine missionum vel exercitiorum spiritualium: quamquam omnes illae indulgentiae, quae, his condicionibus positae, fidelibus lucrandae proponuntur, nequeunt, durante hoc anno, acquiri nisi in favorem fidelium defunctorum.

Sed neque omnes facultates quae ad quattuor supra dicta capita spectant, suspensae manent. Plures enim excipit ipsa Constit. citata: inter quas potissimum animadverti merentur facultates Missionariorum qui a S. Officio vel a S. C. de Prop. fide vel alias ab Apostolica Sede deputati fuerint, et quas S. Poenitentaria Missionariis, in locis Missionum earum-

que occasione exercendas, concesserit. (1) Speciatim juvabit hic recensere quatenus eadem suspensio afficiat Ordinarios et Regulares. Itaque :

1^o Juxta ipsum Bullae tenorem, servant episcopi facultates quas habent *in casibus occultis*, a Synodo Tridentina, circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum. Quatenus se extendat haec facultas circa absolutiones casuum reservatorum, et circa dispensationem in suspensionibus vel irregularitatibus, dicemus nn. 575, VI et n. 632, V. — Salvae manent, juxta eandem Bullam, facultates quas episcopi habent, etiam in publicis casibus, a jure communi ecclesiastico et ab Apost. Sede pro certis personis et casibus. Exempla talium facultatum e jure communi ecclesiastico habes n. 523. n. 607 seqq. etc. Sed non ita liquebat quaenam e facultatibus quae, praeter jus commune, Ordinariis concessae sunt ab Apost. Sede, manerent incolumes. Alii enim sentiebant manere tantum facultates datas pro personis et casibus in individuo determinatis; alii, manere quaelibet indulta, quia haec etiam dici possent continere facultates "pro certis personis et casibus." Attamen etiam ii qui huic benigniori interpretationi favebant (II Monitore eccl. l. c. p. 469) sentiebant facultates episcoporum ad dispensandum in impedimentis matrimonii suspendi pro foro interno.

Jam ex declaratione S. Poenit. d. d. 26 Dec. 1899 certum erat non suspendi facultates Episcopis vel Ordinariis, a S. Sede pro foro externo concessas, quando recentior declaratio S. Poenitentiariae, probata a S. Pontifice, die 19 Jan. 1900 supradicta dubia sustulit. Est autem illa declaratio sequentis tenoris: "Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, declarat, per bullam *Quod Pontificum*, ratas firmasque manere pro utroque foro, et pro quibuscumque casibus, tum occultis tum publicis, facultates omnes quas Episcopi et Ordinarii habent sive ex jure communi ecclesiastico, praesertim Concilii Tridentini, sive ex speciali indulto ab Apostolica Sede forte concesso in casu aliquo particulari pro determinatis personis nominatim expressis.

Ceteras vero facultates omnes, sive temporaneas sive perpetuas, quocumque modo concessas, sive a S. Poenitentiaria sive a S. aliqua Congregatione seu etiam immediate ab Ipso Summo Pontifice, si sint pro foro interno, omnino cessare: si sint pro foro externo (qualis censenda est illa dispensandi in Matrimoniis mixtis) manere. Ad consulendum autem iis qui legitime impediuntur quominus Romam accedant, provisum per declarationem hujus S. Poenitentiariae, datam die 21 Decembris 1899, cujus exemplar transmittitur."

(1) Alii (Loiseaux, op. cit. p. 685) eam exceptionem intellegunt de solis missionariis qui ad regiones infidelium pergunt; alii (II Monitore ecclesiastico, 2^a S. t. I. p. 467) eam extendunt ad sacerdotes omnes qui, sacris Missionibus vacantes, speciales facultates ad eas obeundas a S. Poenitentiaria habent.

2^o E Bullae verbis, salvae manent facultates "Antistitum Ordinum religiosorum, quaecumque ipsis in Regulares sibi subjectos ab Apostolica Sede tributae sint." Igitur Superiores Regulares, et probabilius etiam Superiores religiosorum cum votis simplicibus, qui in Regularium privilegiis communicant, exercere possunt, sive per se, sive per confessarios a se deputatos, omnes facultates absolvendi, commutandi vota et dispensandi in irregularitatibus, quas a S. Sede obtinuerunt. Sed, ex ipso textu Leonis XIII et Constit. Bened. XIV, *Cum nos nuper*, constat suspensas manere facultates quas Regulares in quattuor supra dictis capitibus a S. Sede acceperunt, in ceteros fideles exercendas. Confessarios multum juvabit Declaratio a S. Poenit. data 21 Dec. 1899. Rogatum fuerat: "An suspensio facultatem facta per Bullam *Quod Pontificum*... comprehendat, nulla facta exceptione, facultates in folio typis impresso, a S. Poenit. Ordinariis et Confessariis concedi solitas pro foro interno?" Responsum est: "S. Poenit. facta relatione SS. D. N. Papae Leonis XIII, declarat suspensionem hanc non extendi ad poenitentes illos, qui tempore confessionis, iudicio Ordinarii vel Confessarii, sine gravi incommodo, hic et nunc ad Urbem accedere nequeunt." Itaque facultatibus per pagellam S. Poenitentiariae acceptis vel aliis jam antea impetratis uti licebit cum omnibus poenitentibus qui hic et nunc, seu intra breve tempus iter Romanum arripere nequeunt sine gravi incommodo, licet forsitan id postea facere posse sperentur. Grave autem incommodum desumi potest e sanitate, e munere implendo, e negotiis magni momenti hic et nunc gerendis. etc.